



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

215. An, & qualiter adulterium inducat privationem beneficii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tutionis, quæ sunt graviores, comprehendunt solum exercentes. Exigi insuper ad incurrendas dictas pœnas dicti usus & exercitii notorietatem, ait Lott. n. 67. ac citat pro hoc Graff. *decis. aurea. l. 2. c. 90. n. 13.* Barb. *de Episc. alleg. 46. n. 27.* & in *Collectan. ad c. Clerici. de excessib. pralat. num. 9.* Cùmque hoc crimen inhabilitet ad consequenda beneficia, si occultum, & ad forum contentiosum deductum non est, posse absolvere & dispensare quoad hanc inhabilitatem Episcopum per concessionem Trident. *sess. 24. c. 6.* aliàs non, propter infamiam juris, quam secum fert, tradit Laym. *loc. cit.* Idem ferè habet in c. *cùm pridem. de renunciat. §. intueri. nu. 5.* ubi: si Episcopus post *Canoniam institutionem ob crimen v. g. Sodomia. juxta Pii V. constit. incurrat pœnam depositionis, aut suspensionis in perpetuum, si crimen occultum est, adeoque infamiam annexam non habeat, proprius Episcopi confessorius absolvere eum poterit propter Trident. loc. cit. & adjunctam ibi declarat. S. Congregationis Cardinal.*

3. Observat etiam idem Lott. nu. 68. ex communi. Barbof. *l. ult. cit. n. 7.* in curia Romana non practicari morem impetrandi beneficia aliorum, ex hoc spurcissimo capite. Observandum denique, quod tradunt Castrop. Azor. & alii. *ll. cit. non videri hanc Pii constitutionem quoad has pœnas usum receptam. De quo puncto suam sententiam promere non audet Garc. dum ait n. 197. an autem hac constitutio in foro conscientia usum recepta sit, an non, quod posterius ait Ugolin. & in quod inclinat Henricq. Avil. Prosp. à S. August. res facti est, seu quaestio de facto, ad quam respondere non est juris consulti.*

Quaestio 213. Quid sit in exercentibus pollutionem extraordinariam, seu extra vas, & bestialitatem?

Respondeo: Nec hos, nec illos comprehendit dicta constitutio, adeoque etiam digni sint privatione beneficiorum; non tamen eam ipso facto incurunt. Castrop. *loc. cit.* de utroque crimine loquens. Garc. *loc. cit. n. 205.* ubi quod exercentes bestialitatem non comprehendantur dicta constitutione, saltem quoad pœnas ipso jure impositas Sodomitis; eò quòd, licet sit scelus gravius Sodomia, at tamen species distincta à Sodomia, & in pœnalibus non fiat extensio etiam ex identitate & majoritate rationis; præsertim cum pœna ipso jure imponitur, juxta *reg. odia. in sexto. & c. pœna. de penitentia. d. 1.* & juxta DD. plurimos, quos citat *ibidem* Garc. Sed neque incurri propter bestialitatem irregularitatem, tradit Garc. *in fine. n. 206.* ex Bannez. *de just. 2. 2. q. 46. a. 8.*

Quaestio 214. An, & qualiter defloratio monialis inducat privationem beneficiorum?

Respondet ad hoc Card. Luca. *de benef. d. 75. num. 3.* quòd inter alias pœnas inflictas contra hujusmodi sacrilegos stupratores monialium videatur ista pœna privationis beneficiorum imposita vel ipso jure, vel quòd per sententiam ad eam procedi possit, juxta *c. si qua monachorum. 27.*

q. 1. remittit insuper ad Farinac. de delictis carnis. q. 146 n. 26.

Quaestio 215. An, & qualiter adulterium inducat privationem beneficiorum?

Respondeo: ob adulterium aut aliam incontinentiam non concurrente concubinato, de quo paulò post, non est locus impetrationi, vel privationi beneficiorum (intellige ipso jure, quia illud importare videtur *Tò impetrationi. sub disjunctione additum privationi*) Tond. *p. 1. c. 97. num. 17.* testans sic ex mente S. Congregationis tradere Barbof. *c. sicut. de cohabit. cler. & mulier. n. 4.* addit tamen Tond. in adulterio tamen & aliis gravioribus incontinentia delictis datur pœna depositionis adversus clericum, pro quo citat Salcedo *in pr. crim. c. 85. v. detruditur. & Bermundum. tr. de public. concub. tit. de adulterio. n. 26.* de qua tamen pœna depositionis tradit Lott. *l. 3. q. 33. à nu. 34.* quòd licet adulterium referatur inter gravissima crimina, ut Menoch. *de arb. casu 419. nu. 2.* Neque alià pœnà quam depositionis coëteri debeat; nihilominus quia lex pœnam hanc præcisè non imponit, ità ut jussu legis, quæ secum excommunicationem trahat, hanc sententiam depositionis ferre teneatur Episcopus; sed sit id in arbitrio Episcopi, ità, si contra adulterum ferat sententiam suspensionis vel depositionis, sit restituibilis per Episcopum peractà penitentia, juxta *c. at si cler. de judic. Et vel exinde adulterium non censetur ex criminibus majoribus, hoc est, quæ ideo majora dicuntur, quia signata sunt in hoc à lege, nimirum c. non ab homine. de judic. Ut sunt homicidium, furtum, perjurium, statuente pro iis depositionis pœnam præcisè, non verò qua aliàs adulterium reputetur minus crimen comparatione illorum. Lott. nu. 33. Adeoque jam quoad hanc pœnam depositionis erit par ratio in adulterio & fornicatione simpliciter. Lott. *loc. cit. n. 37.**

Quaestio 216. An, & qualiter concubinitus inducat privationem beneficiorum?

Respondeo primò: in fornicatione (idem est de concubinato, quia hic non videtur differre quoad hæc à fornicatione continuata seu repetita, si ve cum una, eademque, si ve cum diversis) non esse locum privationi beneficiorum, nec ipso jure, nec per sententiam; nisi sit notoria & scandalosa ex diuturna continuatione; atque ità ferè incorrigibilis. Lott. *l. 3. q. 33. à nu. 166.* citans C. *quam sit. de excessib. pralat. ac Butrium in c. at si clericus. de judic.* Sic de concubinariis non notoriis & publicis intelligendus Garc. *cit. c. 10. n. 181.* ubi ait, concubinarios non esse privatos, nec privandos seu deponendos, sed suspensionis pœnà puniendos, citans pro hoc Felin. *in c. at si clericus. n. 14. Imol. n. 11. Berojum. n. 165. Corset. in singul. verbo fornicatio. Selv. p. 3. q. 3. n. 7. Lamb. de jurep. p. 1. l. 2. q. 9. a. 20. Clar. l. 5. §. fornicatio. nu. 3. Gutt. qq. Canon. l. 2. c. 7. n. 54.* Notorius autem concubinarius est, qui talis per sententiam vel confessionem judicialiter factam declaratus fuit, aut sanè, qui talis est, ut contròverti de eo non possit, aut aliqua legitima oppositione elari, aut etiam, quando clericus post legitimas sui Superioris admonitiones mulierem scandali causam è domo sua dimittere renuit aut negligit; vel etiam in domo cujusdam amici vel conductitii retinet. Tond. *qq. benef. p. 1. c. 97. num. 1. & 12.* citans Rebuff. *in concord. rit. de public. concubin. §. publici autem.* Neque quoad hoc differentia faciendà est inter concubinam, fornicariam, &